

I. N. 7.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
*De*  
**Bonis Operibus,**

*Quam,*

Divinâ Favente Gratiâ.

SUB PRÆSIDIO  
VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

**DN. JOHANNIS Deutschmann/**  
S. S. Theol. D. ejusdemq; Professoris Publ. longè cele-  
berrimi, Electoral. Alumnor. EPHORI gravissimi, nec non  
Facultatis Theol. pro tempore DECANI,

**DN. Patroni, Praeceptoris ac Promotoris studiorum**  
suorum, omni observantia cultu perpetim prosequendi.

IN FLORENTISSIMO AD ALBIM ATHENE.

Publicæ disquisitioni proponit

**LEVINUS FRIDERICUS Leumann/**  
Dōmiz. Mecklenburg.

*Ad diem 12 Martii A. D. R. c. I. l. c. LXX.*


Horis Antemeridianis,

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTEBERGE, Typis MICHAELIS MEYERI.

SL  
UB  
oll. diss. A  
62, 14.





IN NOMINE JESU!  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
*De*  
BONIS OPERIBUS.

PRÆFATIO.

**B**onum Opus vitæ non tantum humanæ, sed etiam Christianæ Scopus est. Tria siqvidem in homine sunt, Natura, seu Vita, propria, vel attributa, demum Opera. Vita per attributa, vel propriata tendit ad opera. Hinc Philosophi Morales Vitæ perfectionem, & ipsam Eudæmonian in Exercitio Virtutis posuerunt, cum, secundum Aristotelem, Summum Bonum nihil aliud sit, quam operatio rationalis animæ secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta. Multo magis etiam rectè dicitur, quod Vita Christianæ scopus sit ipsum Bonum Opus. Nam Vita Christiana non in speciosa quadam φαντασίᾳ, nec in verbosa grandiloquentia, sed potius in pietatis ἐνεργείᾳ consistit: ὁ λέγει μόνον, αλλὰ καὶ εἶναι, ποιεῖ χειταινάς, inquit S. Ignatius Martyr, vel ut habet Epist. 3. ad Magnes. πέπιστος δέ, μὴ μόνον καλεῖθε χειταινάς, αλλὰ καὶ εἶναι, ὁ γὰρ λέγει, αλλὰ τὸ εἶναι μακάρειον ποιεῖ. Luceat lux vestra coram hominibus, inquit Os Veritatis, ut videant opera vestra bona, quo glorificetur Pater vester, qui in cœlis est Matt. V. 16. Hic totius Vitæ Christianæ Scopus, sit etiam modo præsentis laboris scopus. Dissertationem Theologicam de Bonis Operibus nunc ingredimur. Adsit Bonorum Operum Autor Christus Iesus, Spiritu Sancto mentes nostras instruat, ut veram de Bonis Operibus Doctrinam ex Sacris literis depromere, praxiq; pietatis eam exprimere,

*totiusq; vitæ nostræ scopum constituere valeamus, quo nunc etiam glorificetur Pater noster Cœlestis in Christo Iesu Domino nostro!*

1. Omnis tractatio de Bonis Operibus non inconvenienter ad Onomatologiam & Pragmatologian revocatur. Onomatologia nonnulla de vocabulis monet; sicut enim in Theologia quoq; magnus vocabulorum usus est, ita pariter de præsenti Articulo dicendum, quod necessaria sit, & utilis de Vocabulis, & loquendi modis doctrina. In principio loci de Bonis Operibus, scribit B. Chemnit. p. 3. L. C. p. 9. instituenda est observatio de Vocabulis: quæ ideo utilis est, quia ex appellatione Bonorum Operum aliquando queritur depravatio purioris doctrinæ hujus loci. Declarat idipsum exemplo Pontificiorum. Pontificii, pergit, intelligunt de externis, indebitis & supererogationis operibus, modo illa fiant bona intentione, & eo animo, ut DE O serviatur. Et hinc occasionem accipiunt, doctrinam de gratuita justificatione hominis peccatoris depravandi. Dicunt enim: Bona opera non justificant, scilicet exterio- ra illa, & indebita: sed fides, hoc est, interna obedientia, illa justificat. Quidam intelligunt sola opera beneficentiae, sicut Act. 9. 36. de Dorcade scribitur, quod fuerit dives operum bonorum & eleemosynarum, quas præstabat. Et Paulus i. Tim. 5. 10. requirit ab ea, quæ vere sit vidua, ut in bonis operibus idoneo testimonio sit ornata, & postea explicat, quænam sint illa bona opera, si videlicet fuerit hospitalis, si sanctorum pedes laverit, si afflictis subvenierit,

2. Quoad Etymologiam, objectum præsentis Tractationis Bonorum Operum termino designatur, & vocantur Opera, non ab operum voluntate: voluntas eqvidem præreqviritur, sed in voluntate bonum Opus non finitur, aut perficitur: nec ab operum facultate, quia multa sunt humanæ facultatis, cum primis à Spiritu DEI sanctificatae, vel renovatae, quæ tamen ab hominibus non fiunt: sed potius ab operandi actualitate suam appellationem Opera fortiuntur, cum ab operando vi vocis deducantur, in operando formaliter consistere deprehendantur, & ad opus aliquod externum communiter dirigantur.

3. Bona vero dicuntur Opera (1) ratione causæ principalis, quia Spiritus DEI bonus, est operum bonorum autor principalis: hinc David orat Psal. CXLIII. 10. *Spiritus tuus bonus ducat me in via recta: & hic est ille Spiritus, qui operatur in omnibus omnia I. Cor.*

XII. 6.

XII. 6. (2) *ratione causæ instrumentalis*, qvia lex D E I bona ~~meum~~  
est, ex qvobona opera cognoscimus, *norma*, vel *cynosura*, secundum  
qvam opera bona dirigimus; *Evangelium* autem est *virtus D E I*, qva  
tanquam fideles exornati, bona opera perficimus. (3) *ratione*  
*causæ materiali*, qvia non *homines*, secundum naturam corrupti, sed  
secundum gratiam renovati, qvi nimirum creati sunt in Christo  
J E s u ad bona opera *Eph. II. g.* sunt bonorum operum cultores. (4)  
*ratione causæ formalis*, qvia non tantum *absoluta forma*, seu *legalis*,  
videlicet *civicia*, sed etiam *relativa forma*, vel *Evangelica*, nimi-  
rum *fides*, bonitatem operum istorum demonstrat. (5) *ratione*  
*causæ finalis*, qvia bonos & utiles fines opera bona respiciunt, ut  
scriptura passim ostendit.

4. Qvoad *homonymiam* multa moneri possent, hac vice bo-  
norum operum diversos respectus attendimus. Nam *Opera bo-*  
*na* varie considerari possunt (1) *Vel Philosophice*, qvatenus pen-  
dant ex naturæ studio, vel *Theologicè*, qvatenus pendent ex D E I  
Verbo; prior consideratio dicitur *imperfecta*, posterior majori,  
vereq; divina perfectione gaudet. (2) Considerantur *opera bona*  
vel in *foro humano*, vel in *foro divino*; illa potissimum externa, hæc  
etiam interna sub censuram vocat. (3) Præterea considerantur  
vel *legaliter*, vel *Evangelice*; illius considerationis norma dicitur  
*civicia*, hujus forma nuncupatur *fides*. (4) Porrò consideran-  
tur respectu *diverorum statuum*, & quidem vel ratione *status inte-*  
*gritatis*, ita perfecta per naturam fuerunt; vel ratione *status cor-*  
*ruptionis*, sic imperfecta sunt, imò ferè nulla propter peccatum:  
vel ratione *status restauracionis*, ita perfecta sunt ratione imputa-  
tionis, imperfecta ratione inchoationis; vel ratione *status glorifi-*  
*cationis*, ita perfectissima dicuntur propter gloriam consumma-  
tam. (5) Deniq; ratione *subjectorum*, alia sunt *opera bona D E I*, alia  
*Angelorum*, alia *hominum*: & qvæ sunt aliæ diversæ consideratio-  
nes. Hic *Theologicè*, *in foro divino*, sed *Evangelice*, respectu *status restau-*  
*rationis*, *hominum opera bona* potissimum præsentis dicuntur consi-  
derationis.

5. Porrò qvoad *Homonymiam*, *Opera bona* vel dicuntur in *sen-*  
*su speciali*, qvatenus *externa* saltem *opera*, vel in *sensus* *incurrentia*  
*notant*, prout *cogitationibus* & *sermonibus* contradistinguntur: vel

*in sensu generali*, qvatenus omnia cum *interna*, cum *externa opera* hoc termino designantur, & in genere cum *cogitata*, cum *dicta*, cum *facta*, bonorum operum appellatione comprehendantur: h.l. posterior, vel generalis acceptio venit attendenda, cum minimè *Phariseorum*, *Papistarum*, & aliorum errorem approbare debeamus, qvi studium bonorum operum ad *externas* saltem actiones retulerunt.

6. Qvod concernit *Synonymiam*, scriptura *Synonyma* quamplurima suggerit, qvibus naturam Bonorum operum exprimit, vel exponit. B. Chemnitius d. l. ad certas classes illa *Synonyma* revo-  
cavit, qvæ non parum doctrinam hanc illustrant. Possunt, in-  
qvit, *Synonyma* biblica bonorum operum ita inter se distribui, ut qvæ-  
dam referantur ad causam Efficientem, ut *Sanctificatio*, donum per gra-  
tiam Rom. V. 15. *nova creatura in Christo* II. Cor. V. 17. Gal. VI. 15. Qvæ-  
dam ad causam formalem, ut *Novitas* Eph. IV. 32. *renovamini spiritu*  
*mentis vestræ* Col. III. 10. *Induite novum hominem*, qvi renovatur in agni-  
tionem secundum imaginem ejus, qvi condidit ipsum, Tit. III. 5. *lavacrum*  
*renovationis Spiritus Sancti*, καὶ γότης novitas Rom. VI. 4. in novitate vitæ  
*ambulemus* Rom. VII. 6. *servimus in novitate Spiritus, cor novum & mun-*  
*dum* Psal. LI. 12. *novus homo* Eph. II. 15. IV. 24. Col. III. 10. *inchoata nova*  
*obedientia, justitia bonæ conscientiæ* Rom IX. 1. I. Tim. I. 5. Heb. XI. 39. *bo-*  
*num propositum, ἀργυρία, promptus omnibus* II. Cor. IX. 2. *ἀργυρεοίς*,  
sicut habetur II. Cor. IX. 17. καὶ τὸς ἀργαρέντων ἦν οὐδία, secundum  
*propositum cordis, ἀργότος* II. Tim. III. 10. *Regeneratio & vivificatio*,  
utrumq; complectuntur, & efficientem causam & formalem. Qvæ-  
dam respiciunt objecta, ut *opera legis* Rom. III. 28. Gal. II. 16. Qvæ-  
dam describunt effectus renovationis, ut *bona opera, cultus DEI, fructus*  
*Spiritus, fructus pœnitentiae, seu conversionis, mortificatio carnis, dilectio*  
*DEI & proximi, ambulatio in viis & mandatis Domini, mortificare actio-*  
*nes carnis, præbere membra arma iustitiae, Spiritu DEI agi, abstinere à pec-*  
*catis* I. Thess. IV. 3. αἱ ασποφῆ καλὴ, *bona conservatio* I. Pet. II. 12. & αἱ γία  
*αἱ ασποφῆ* II. Pet. III. 11. I. Tim. IV. 12. Rom. XVI. 19. *obedientia vestra ad*  
*omnes pervenit* I. Tim. II. 8. & σέβεια pietas, *θεοσέβεια* I. Tim. II. 10. Item  
*ἀρετὴ virtus* II. Pet. I. 5. Qvædam respiciunt causam finalem Rom.  
XII. 1. *Sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, acceptam DEO,*  
*sultam rationalem* Act. XXIII. 1. *Ego bona conscientia serviri DEO ad*  
*hunc*

bunc usq<sup>o</sup> dicim Rom. I. 9. DEO servio spiritu meo Phil. IV. 9. Qued reliquum  
est, Fratres, quæcumq<sup>z</sup> sunt vera, quæcumq<sup>z</sup> honesta, quæcumq<sup>z</sup> justa, quæ-  
cumq<sup>z</sup> pura, quæcumq<sup>z</sup> accommoda, quæcumq<sup>z</sup> boni nemini, si quæ virtus, &  
si quæ law, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, &  
vidistis in me, hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum. Hæc de Ono-  
matologia sufficient.

7. In *Pragmatologia* potissimum tria nobis expendenda suscipimus I. Bonorum Operum Causas. II. Bonorum Operum Proprietates. III. Bonorum Operum Operationes. Nam, uti superius monitum, hæc tria circa quodvis Ens consideranda veniunt, cum ex illis essentiam, ex ipsis eminentiam, ex his fructuum abundantiam cognoscere valeamus.

8. Qvod attinet *causas*, inter eas agmen dicit *Efficiens*, qvæ non unius generis est. Nos hac vice notamus (I) *Causam Principalem*, qvæ vel est *prima*, & *divina*, vel *secunda*, & *humana*. *Prima causa bonorum operum DEus* est, & quidem non una ratione (I) ἀδιωδῶς, qvo ad *essentiam*, sic passim DEO studium Bonorum operum tribuitur, qvia bona opera fiunt *ad extra*: jam autem opera ad extra sunt indivisa, & omnibus personis ex æquo communia: nam per naturam homo corruptus, & nihil boni præstare valet, qvia DEus dat velle & perficere Phil. II. 13. nec idonei nos sumus cogitare boni qvicq; am ex nobis ipsis, tanq; am ex nobis ipsis, omnis autem idoneitas nostra dicitur ex DEO II. Cor. III. 5 & omnia tribuit gratiæ divinæ I. Cor. XV. 10. *Gratia DEI sum, qvod sum*; vel etiam donationi divinæ I. Cor. IV. 7. *Quid habes, qvod non accepisti? si vero accepisti, qvid gloriaris.*

9. (2) *Exos. xii. 25*, vel *idem*, qvia scriptura non semel ope-  
rum bonorum efficientiam tribuit (1) Patri, qvia omne datum optimum,  
& omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre lumen  
*Iac. I. 17.* Pater enim usq; modo operatur *Ioh. V. 17.* non tantum in ope-  
ribus naturalibus, sed etiam spiritualibus, ita qvidem ut in hoc ne-  
gotio vel agricola, vel vinitori conferatur *Ioh. XV. 1.* *Ego sum vitis ve-*  
*ra, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me, non ferentem*  
*fructum, tollet eum, & omnem, qvi fert fructum, purgabit eum, ut fru-*  
*ctuum plus adferat. Phil. I. 6.* Is, qvi cœpit in nobis bonum opus, perficiet ad  
diem Iesu Christi. (2) *Filio*, qvia ipsum nim. Christi, factura sumus,

*creati in Christo Iesu ad bona opera Eph. II. 10. sine ipso nihil possumus facere Ioh. XV. 5. ipse una cum patre semper operatur Ioh. V. 17. (3) Spiritui Sancto, cui communiter opus sanctificationis tribuitur: sanctificationis opus autem in studio bonorum operum consistit.*

10. (3) οἰκονομικῶς, qvia per certam œconomiam peculiari-  
ter efficientia bonorum operum Spiritui Sancto convenire dicitur, qvod  
demonstrat (1) clara Scripturæ testificatio, qvod Spiritus Sanctus  
in omnibus omnia operetur I. Cor. XII. 6. (2) Bonorum operum ori-  
ginatio, qvia bona opera non nisi per fidem fieri dicuntur, cum fides  
per charitatem vel studium bonorum operum sit ἐνεργεία Gal.  
V. 6. jam autem autor non alias fidei, qvam Spiritus Sanctus esse dici-  
tur, qvi per verbum fidem in nobis operatur. (3) Bonorum operum  
appellatio, qvia bona opera fructus Spiritus appellantur Gal. V. 22. id  
qvod recte fieri dicitur propterea, qvod Spiritus Sanctus sit efficiens  
bonorum operum causa, qvemadmodum B. Frantzius disp. 6. in Au-  
gust. Confess. th. 8. notat, inqviens, Causa Efficiens bonorum operum prior  
est Spiritus Sanctus, per Filium DEI effusus super corda credentium. Ideo  
enim bona opera, Christus, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas,  
Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas, ap-  
pellant fructus Spiritus Gal. V. 22. Et hisce operibus studiose vacantes nomi-  
nantur spirituales Gal. VI. 1. sic etiam Ezech. XXXVI. 27. dicitur: Spiritum  
meum dabo in medio vestri, efficiamque, ut in præceptis meis ambuletis, Et  
judicia mea custodiatis, Et faciat illa. Huc illud, qvando David Psal.  
LI. 13. petit a DEO, ne amplius ab ipso auferat Spiritum Sanctum.

II. Frustra proinde Smalz contr. Franz. p. 167. id in dubium vo-  
cat, ita scribens: Causam efficientem bonorum operum esse Spiritum San-  
ctum, non negamus. An vero ideo bona opera fructus Spiritus Gal. V. ap-  
pellentur, dubium esse videtur. Opponitur enim ibi fructus Spiritus operi-  
bus carnis. Quemadmodum igitur opera carnis sunt ea, qvæ ab affectibus  
hominum proficiuntur, sic fructus Spiritus ea bona opera videntur esse.  
qvæ à ratione hominis, divina revelatione, qvæ in Evangelio continentur,  
illustrata, promanant.

12. Verum frustra dubitat Socinianus de eo, qvod in aprico  
positum est. Nam fructus per se causam respicit, & causæ, non  
alterius, fructus esse dicitur: id qvod vel ex ipsa, qvam Smalzius  
profert, oppositione manifestum: nam ut fructus carnis dicuntur,

q

qui à carne, tanquam causa, ceu fructus & effectus, promanant, itz qvoq; fructus Spiritus appellantur, qui à Spiritu, tanquam causa, ve- luti fructus, vel effectus Spiritus, proveniunt. Fallit autem adversa- rius, dum carnem physice, sumtam, cum carne, theologice accepta, vel carnem ipsam cum carne corrupta confundit: Paulus non carnem physicè sumtam, qvæ bona substantia, sed mystice, qva corrupta causa, hic intelligit, & sic à carne corrupta, vel ab affectibus proficisci, hic σωστικῶς accipiuntur. Posito vero, qvod ea opera bona dicantur, qvæ a ratione hominis, divina revelatione illustrata, promanant, ni- hil tamen hic nobis adversum adseritur: nam & ratio renovata, & revelatio divina, & ratio per divinam revelationem illustrata, Spiritus Sancti sunt effectus, & sic valet illud: *Causa cause etiam est causa causati.*

13. *Causa secunda Principalis bonorum operum est homo fidelis:* non enim homo (1) qvatenus est creatus, opera bona nunc præstat, qvia primævam integritatem, & bene operandi facultatem, per apostasian turpissimam amisit, & bene operandi impotentiam attraxit: neq; (2) qvatenus est corruptus, qvia corrupta causa non bene, sed male, non perfectè, sed corruptè, non positive, sed destructive operatur: nec (3) qvatenus per naturam corruptam est natus, siqvidi- dem nemo potest dare mundum ex immundo conceptum, vel natū semine Job. XIV. 4. & qva tales, corrupti sunt, & abominabiles in studiis suis, non est, qvi faciat bonum usq; ad unum Psal. XIV. 1. omnes declinaverunt, simul abominabiles facti sunt, non est, qvi faciat bonum, non est usq; ad unum v. 4. nec (4) qvatenus per industriam humanam est educatus, vel formatus: licet enim externus homo non tantum qvodammodo bona opera naturalia, artificialia, domestica, politica, sed etiam moralia præstare valeat, sicut Ethnico- rum non pauci propter virtutis studium magnam laudem ab omni- bus reportarunt: tamen inter virtutes Ethnicorum, vel morales, & inter opera Christianorum, vel spiritualia, multiplex differentia repe- ritur, sicut Philippus Melanchthon, & post eum alii Theologorum observarunt. Siqvidiem Ethnicæ virtutes à bonis operibus fidelium differunt (a) *Causa Efficiente*, qvia principaliter Deus per generalem providentiam in Ethnicis virtutes extra Christum operatur: sed opera bona Spiritus Sanctus per gratiam in Christo peculiarem

B

opera.

operatur: *instrumentaliter* ex parte DEI in Ethnicis fuit peculiaris:  
naturæ instinctus, sed operum bonorū mediū est spiritualis afflat,:  
ille fit sine verbo, hic vero per verbum: ex parte nostri virtutes.  
Ethnicorum sunt sine fide, sed opera bona Christianorum ex fide:  
nam quod ex fide non est, peccatum est Rom. XIV. ult. (b) *Causa*  
*materiali*, quia virtutes Ethnicorum sunt ab hominibus non re-  
natis, sed opera bona reqvirunt personam DEO reconciliatam, &  
per Spiritum Sanctum renatam. (c) *Causa formalis*, quia bonorum  
operum forma est relativa, nimirum fides, quia sine fide imposs-  
ibile placere DEO Heb. XI. 6. sed virtutes Ethnicorum formam  
absolutam, nim. *conuenienter*, quoad fieri potest, respiciunt. (d) *Cau-  
sa finali*, quia virtutes gentilium propriam intendunt gloriam, &  
omnia referunt vel ad propriam, vel ad publicam patriæ, vel et-  
iam ad amicorum utilitatem: sed opera bona Christianorum  
respiciunt DEI gloriam, Ecclesiæ salutem & ædificationem. Et  
quæ sunt aliæ differentiæ.

14. Manet igitur, quod *homo fidelis*, vel *renatus* sit *causa*:  
*secunda bonorum Operum*, non equidem *absolute*, quasi *solus*, & *sine*  
*Spiritu Sancto* possit opera bona præstare, sed *relative*, quod à *Spiri-  
tu Sancto*, vel in eodem, opera bona præstare debeat: probatur  
hoc (1) *ex proprio fidelium scopo*, quia creati sunt in Christo IESU ad  
bona opera Eph. II. 8. (2) *ex proprio subjecto*, quia passim in sacris  
literis *opera nostra* dicuntur: quod autem *opus nostrum* est, ejus  
quoq; *causa sumus*. (3) *ex proprio mandato*, quia propriè fidelibus  
DEUS mandat, ut opera bona faciant, cum infideles, quia tales,  
opera bona præstare nequeant. (4) *a comparato*, quia causa ho-  
norum operum *arbori frugiferæ* confertur Matt. VII. 17. *Omnis arbor  
bona fert bonos fructus, mala vero arbor malos fert fructus*. Et hæc *causa*,  
vel *totus homo*, *principium* ut quod bonorum operum appellatur.

15. *Principium* ut quo dicitur *cor & voluntas hominis fidelis*, si-  
cuit Franz. d. l. th. 9. scribit: *Causa Efficiens bonorum operum posterior est*  
*cor & voluntas hominis renati*, seu ad DEUM conversi: non enim sunt bona  
opera fructus liberi arbitrii, nisi quatenus jam per gratiam liberatum est  
I. Joh. V. 18. Scimus, quia omnis, qui est ex DEO, non peccat, sed generatio  
DEI conservat eum, & malignus non tangit eum Matt. VII. 7. *Omnis ar-  
bor bona fructus bonos facit*.

16. Sed

16. Sed his male contradicit Smalz d. l. *Bona opera non esse fructus liberi arbitrii, nisi quatenus jam per DEI gratiam liberatum est, obscurè dicitur, & errore non caret.* Certum enim enim est, hominem etiam non renatum, posse natura, & ratione duce bona opera præstare, licet non ita perfecta, quemadmodum si, qui renatus est, nec ita perfecta, nec DEO etiam ita accepta, quemadmodum ea sunt, quæ quis Christi amore fecit. Miror autem Franzium, quod hoc suum àxiowm probaturus, locum attulerit Iohannis, eumq; secundum vulgatam, quam vocant, lectionem, quæ habet; Et generatio DEI conservat eum, ut scil. hinc ostenderet, ad opera bona facienda requiri regenerationem. Cum tamen longe aliter habeat textus Græcus, qui Franzio inspiciebatur erat, & non alleganda Vulgata Pontificiorum versio. Sic enim habet textus Græcus, Et natus ex DEO, conservat seipsum. Unde quam diversus sensus emergat, puto neminem non videre. Verba Christi Matt. VII. ita sunt prolatæ, ut indefinite de omnibus hominibus, si renatus, sive non renatus dici possint. Et tam bona arbor dici potest, homo non renatus, qui virtutis est studiosus, quam renatus, qui amore DEI virtuti dat operam, licet aliis alio magis proprie. Ut oves Christi, & populus Christi tam illi appellantur, qui extra Christum sunt animi probitate prædicti, quam qui in Christum credunt, licet hi magis proprie, quam illi.

17. Verum plures ferè errores, quam verba hic cernimus. Nam (1) nulla reperitur obscuritas in verbis illis: *bona opera non esse fructus liberi arbitrii, nisi quatenus jam per DEI gratiam liberatum est:* nam liberum arbitrium hominis renati, non autem irrenati, B. Franzius intelligit, & verbis claris id exponit: *obscuritas non in dictis Franzii, sed in figuris Smalzii deprehenditur.* (2) Qvod homo non renatus possit *natura*, vel ratione duce bona opera præstare, valet de bonis operibus moralibus, non spiritualibus, de virtutibus Ethicis, non theologicis: sed non de illis, verum de his apud Theologos sermo. (3) Perfecte fiunt bona opera, non in opere, sed in fide, quia perfectione non inhaesiva, sed imputata, non propria, sed aliena, non agentis, sed redemptoris gaudent: prorsus igitur nihil ad hoc perfecte agere homines non renati conferre possunt, quia vera prorsus in Christum fide destituuntur. (4) Perfecta sunt, juxta scripturam, opera nostra, quæ sunt sincera, non fucata, non simulata, non hypocritica I. Joh. II. 5. sed talia quoq; perfecta opera non

eadunt in irregenitos, qvia sincera perfectio fidem præsupponit,  
& originem ex fide dicit, qva non renati carere dicuntur, ergo  
nullo modo hæc perfecta opera præstare valent. (5) Nihil à no-  
bis profectum sine Christo, vel sine fide, DEO dicitur acceptum,  
qvia dilecti sumus in dilecto Eph. I. 6. & sine fide impossibile placere DEO  
Heb. XI. 6. jam autem irregeniti nec sunt in Christo, nec fide prædicti  
sunt. Ergo prorsus ipsorum opera coram DEO non sunt acce-  
pta. (6) Gentiles non ex amore DEI, vel Christi, sed ex amore sui,  
vel propriæ gloriæ, virtutibus studuerunt, non igitur opera vere bo-  
na ipsis tribui possunt (7) Qvod attinet locum I. Joh. V. 18. sive  
græcum, sive latinum textum respiciamus, thesis Franzii confirma-  
tur, nec alius Smalzius, demonstravit, licet diversitas quædam in-  
ter verba reperiatur. (8) Falsum, qvod verba Christi, qvo ad præ-  
sentem textum, contextum, scopum, adeoq; sensum immediatum, sine  
omnibus hominibus, & renatis, & non renatis indefinite com-  
munia, cum Christus ibi de veris Christianis sermonem faciat, ut  
& de veris Doctoribus, eosq; tum à Pseudoprophetis, vel falsis Doctori-  
bus, tum à Pseudochristianis, vel hypocritis, distingvere contendat.  
Hinc dist. inter *materiale* & *formale*: qvod materialiter hæc verba  
sensum aliquem generalem admittere queant, illud facile largimur,  
sed qvod ex intentione, pronunciatione, & applicatione Christi forma-  
liter sensum generalem & indefinitum inferant, illud constanter ne-  
gamus: unde neutiquam à posse ad esse, vel ad debere, valet conse-  
quentia: homo non renatus, virtutis studiosus alias arbor bona po-  
test appellari, sed qvod hoc loco, secundum sensum & scopum Chri-  
sti, tam homo non renatus, qvi virtutis est studiosus, quam renatus,  
qui amore DEI, vel in vera fide, virtuti dat operam, sit intelligen-  
dus, illud falsissimum est. (9) Falsissimum deniq;, qvod oves  
Christi, vel populus Christi, tam ii appellantur, qvi sunt extra Chri-  
stum animi probitate prædicti, quam qvi in Christum credunt:  
nam qvi sunt extra Christum, illi sunt sine Christo, sine DEO Eph. II. 12.  
non igitur Christi populus, vel oves esse possunt, cum fide in Chri-  
stum destituantur: qvos Christus ne quidem nosse vult, ut iti-  
dem Matt. VII. 23. notat inquisiens: Tunc confitebor illis, qvia nunquam  
novivos; discedite à me omnes, qvi operamini iniqvitatem: illudq; ve  
verbis immediate seqq; eleganti parabola mox illustrat v. 24.

Omnis

Omnis ergo, qvi audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qvi ædificavit domum suam super petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram &c: Qvi proinde verba Christi audiunt, & faciunt, illi viri sapientes atq; felices sunt, & sunt oves Christi, populus Christi, membra Christi, fertiles arbores &c.

18. Ministerialis causa bonorum operum sunt Ecclesiae Doctores, quorum ministerio studium bonorum operum docetur, urgetur, & in hominibus retinetur. Papistæ quidem jam olim Lutheranos Doctores accusarunt, quod opera bona negligant, contemnant, imò penitus prohibeant, & adhuc hodie tibias easdem inflant: sed jam August. Conf. calumniam illam redarguit Art. XX. Falso accusantur nostri, quod opera bona prohibeant. Nam scripta eorum, quæ exstant de decem præceptis, & alia simili argumento testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officiis, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione DEO placeant. De quibus rebus olim varum docabant Concionatores, tantum puerilia, & non necessaria opera urgebant, ut certæ ferias, certæ jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum & similia. Hæc adversarii nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim.

19. Instrumentalis Causa non uno respectu considerari debet. Ratione DEI, verbum & sacramenta sunt pietatis & bonorum operum instrumenta, tum quia verbum DEI est verbum virtutis II. Cor. V. 7. verbumvitæ Phil. II. 16. Λόγος ζῶντος θεοῦ Heb. IV. 12. tum quia verbum DEI est potentia DEI ad salutem omni credenti Rom. I. 16. tum quia Deus per verbum in hominibus operatur. Cum vero geminum sit DEI Verbum, alterum Legis, alterum Evangeli, propterea notandum, quod neutrum ab hac instrumentali causa separandum sit verbum, cum lex sine Evangelio nihil in nobis nunc post lapsum valeat, nec aliiquid per se præstare queat: Evangelium vero sine lege opera bona non habeat, nec urgeat: Est igitur lex & Evangelium, ut unum DEI verbum, bonorum operum medium, tum quia lex materiae suppeditat, Evangelium formale communicat bonis operibus, ex materiali & formali simul totum constare dicitur; tum quia lex notitiam bonorum operum, Evangelium energiam confert, tum quia lex est norma bonorum operum, Evangelium causa, tum quia lex necessitatem bonorum operum urget, Evangelium vires & facultatem

**ea præstandi confert &c: Sacra**menta quoq; verè sunt instrumen-ta bonorum operum, ex parte DEI: nam baptismus non tantum dici-tur lavacrum regenerationis, sed & renovationis in Spiritu Sancto Tit. III. 5. nostra verò renovatio nihil aliud, quam studium bonorum operum infert: Cœna Domini quoq; est cibus animæ spiritualis, incenti-vum pietatis, nutrimentum fiducialis operationis, motivum omnis dilectionis, documentum Christianæ, vel inculpate con-versationis &c: Et per cœnam corda nostra Christus incolit, ve-ram spiritualem vitam in nobis incipit, & omnia pietatis opera perficit.

20. *Ratione nostri medium, vel instrumentum bonorum operum, fides est. Nam fides est Spiritui Sancto subordinatum, verbo & sacra-mentis coordinatum medium, ex quo promanat illud omne, quod opus bonum in nobis appellatur. Unde bona opera vocantur fructus fidei I. Cor. XII. 11. Phil. I. 13. Fructus autem effectus est, suamq; causam respicit, adeoq; quoad efficientem causam fructus appellatur. Fides igitur, aut erit principalis, aut instrumentalis causa: non princi-palis, quia Spiritus Sanctus est principalis causa, prout superius est de-monstratum: Ergo manet, quod sit instrumentalis causa. Sic et-iam Verbum & Sacra-menta per nullum aliud medium, quam per fidem, à nobis apprehenduntur, & in nobis operari dicuntur. Quod igitur ex parte nostri medium est, per quod verbum & sa-cra-menta spiritualiter & salutariter in nobis operantur; illud est organon etiam honorum operum ex parte nostri. Sed fides est ta-le medium. Ergo*

21. *Causa materialis non uno modo vulgo consideratur, cum alia sit materia ex qua, alia in qua, alia circa quam. Materia qui-dem ex qua propriè bonis operibus non convenit, αἰσθάλος τa-men eisdem tribui potest, eiq; dupli respectu, tum ab extra, tum ab intra competit. Quod respectu externum concernit, dicitur quod opera bona sint (1) non ab ipsis operantibus excogitata: talia siquidem opera non sunt verae θεραπεῖαι vel ἀληθινές θεραπεῖαι, sed potius εἰδη λογοθεραπεῖαι, quæ severæ prohibitæ sunt Deut. XII. 8. Non facietis, quæ nos hic facimus hodie singuli, quod sibi rectum videtur. (2) non ab aliis tradita, quia passim Christus contra traditiones humanas dispu-tavit: (3) nec ab hominibus in cultu DEI mandata, quia Christus te-statur*

statut Matt. XV. 7. frustra me colunt, docentes doctrinas, qvæ sunt mandata hominum ex Esa. XXIX 12. (4) unde nec a Pontifice Romano mandata, qvod passim Papistæ propugnant. Sed licentia talis nuspia Romano Pontifici concessa. Sed (5) à solo DEO mandata: hinc valet Regula Theologorum: *Qvocung<sup>z</sup>, opus in lege divina mandatum non est, id bonum dici non debet.* Solus enim Deus est colendus, & solus etiam pro sapientia sua cultum sibi deferendum præscribere voluit, imò solus idem præstare potuit præsertim in hac ignorantia, vel cæcitate mentis humanæ, qvæ nescio quid non de Deo, rebusq; divinis, & cultibus religiosis fingit, & nihil certi definire novit: unde nobis de cultu DEI verbum suum Deus proposuit, ut ex eo verum cultum religiosum disceremus, cum primis autem legem suam tradidit, ubi bonum opus omne nobis, tum implicite, tum explicite præscriptum.

22. Qvoad respectum internum notum est, qvod opera hic adæquate sumantur, adeoq; sic partim ex cogitationibus cordis, partim ex sermonibus oris, partim ex actionibus externis constare dicantur, cum ad minimum vel internæ, ve externæ operationes, bonum opus ingrediantur, sæpius etiam omnes hæ, tum internæ, tum externæ operationes, tanquam constituentia boni operis concurrere dicantur. Et hac ratione bonum opus perfectum esse dicitur materialiter, si cor, os & opus ita consentiant, ut justa secundum Dei legem harmonia nostris in operibus reperiatur.

23. *Materia in qvæ, vel subjectum, est velut qvod, totus homo Christianus*, qui commune dicitur bonorum operum receptaculum: subjectum autem ut qvo, partim est mens illuminata per verbum DEI, ratione cognitionis & cogitationis, qvia prius ea cogitamus, qvæ facere volumus, quam ipso æstu talia perficimus: unde Paulus Phil. IV. 8. nobis talem cogitationem commendat inquietus. *Fratres, qvæcunq; sunt vera, qvæcunq; honesta, qvæcunq; justa, qvæcunq; pura, qvæcunq; accommodata, qvæcunq; boni nominis, si qva virtus, & si qva laus,* HÆC COGITATE: partim voluntas cordis excitata, nim. per afflatum Spiritus Sancti, qvia nisi cor nostrum ab hoc spiritus afflato moveatur, prorius ad bona opera dicitur ineptum ac somnolentum, unde David orat Psal. LI. 12. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in vijceribus meis:* partim verbum oris sancti-

*sanctificatum, cum ex abundantia cordis os loquatur Matt. XII. 34. bonus homo de bono thesauro cordis profert bona v. 35. Ipartim ipsum factum externum, ad legem DEI conformatum, quod conformat, veramque cum lege DEI harmoniam recipere dicitur. Ab aliis etiam Decalogus bonorum operum subjectum appellatur, quia Decalogus nihil aliud est, quam bonorum operum compendium, dum summam eorum & cultum DEI perfectissimum complectitur, ut patet ex Deut. IV. 2. V. 1. & XII. 33. & aliis scripturarum locis.*

**24.** *Materia circa quam est ipsum objectum, quod est vel personale, nim. aliud summum, quod est ipse Deus, medium, quod est proximus, vel omnis homo, immediatum, vel proximum, quod ipse dicitur operans, & hoc respicit illa summa legis, quam affert Christus Matt. XXII. 37. Diliges Dominum DEum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & v. 39. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: & illud Pauli Tit. II. 11. Apparuit gratia DEI salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, modeste, & juste, & pie, vivamus in hoc seculo: nam modeste, vel sobrie, debemus erga nosmetipos, juste erga proximum, pie erga DEum vivere. Nullum enim verè bonum opus reperitur, quod non vel DEum, vel proximum, vel hominem ipsum respiciat. Vel reale, quod est dilectio, quia circa dilectionem, tanquam circa virtutem generalem, tota lex divina versatur, cum plenitudo, vel impletio legis, dilectio sit Rom. XIII. 10.*

**25.** *Causa formalis est vel absoluta, quae dicitur etiam interna, sed non est (1) natura nostra, quia licet natura per se diffundatur per omnia opera, hisque suum esse naturale tribuat, ad bonum etiam respiciat, tamen natura sua pristinam integritatem amisit, nec in cultu DEI, normae, vel formae rationem obtainere poterit. (2) nec ratio humana, quae quidem in virtutis mediocritate, vel operis boni moralis & Ethici studio multum valet, cum virtus nihil aliud sit, quam habitus electivus in recta ratione consistens, sicut vir prudens juxta rectam rationem eam definire solet: verum nostra ratio non est recta, sed corrupta, cum primis ratione divini cultus, qui pertinet ad spiritualia, de quibus valet illud Apostoli I. Cor. II. 14. Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI, stultitia sunt ipsi nec potest illa cognoscere. Sed potius dicitur conformatio, conformitas cum legi di-*

ge divina, qvæ secundum alios etiam ὁρῶνται appellatur; nam  
cum omnia opera sint à D E O, & hac ratione bona conseantur in  
cultu divino, qvatenus à D E O mandata sunt, ideo sic formalis ratio  
bonitatis, in congruentia cum lege divina consistit. Et hoc est, qvod  
volunt axiomata vulgata Theologorum: Qvodcunq; bonum opus  
est, id ipsum εὐνοεῖ oportet. Et contra: Qvodcunq; opus in lege di-  
vina præceptum non est, nec etiam bonum esse, vel dici poterit. Item,  
Absurdum est, aliqua dicere bona opera, qvæ ad legem divinam referri non  
possint. Nullum opus vere bonum est, aut dici potest, qvod a D E O man-  
datum non est in lege &c: Unde pariter illud à contrario demonstra-  
ri potest. Nam qvod peccati, vel mali operis forma sit αἰωνία, con-  
stat ex I. Ioh. III. 4 ubi disertis verbis dicitur, η ἀιωνία θέσιν η αἰ-  
ωνία, qva de causa rectè dicitur, qvod operis boni forma sit ἀιωνία.

26. Vel relativa, qvæ dicitur etiam externa, vel Evangelica,  
nec aliud quid est, qvam vera fides. Nam tum demum opera no-  
stra formaliter bona censentur, quando D E O placent, vel accepta  
sunt in oculis ejus: in se verò, vel ipso opere, neutiquam  
sunt, sed tantum fide D E O grata fiunt opera nostra, proinde fides  
verè bonorum operum forma, tum qvia sine fide impossibile est place-  
re D E O Heb. XI. 6. tum qvia qvicquid non est ex fide, peccatum,  
vel peccato commaculatum est Rom. XIV. ult. tum qvia fides est  
per charitatem, vel in charitate, formaliter εὐεργείη Gal. VI. 6.  
tum qvia fide uberiorem hostiam Abel, qvam Cain, obtulit D E O,  
per qvam testimonium consecutus est, esse justus, testimonium  
perhibente muneribus ejus D E O Heb. XI. 4. tum qvia reliqua ma-  
gnorum in V.T. virorum opera fidei d. I. tribuuntur: tum qvia  
oninis nostra spiritualis vita dicitur in Christo nobis convenire  
Gal. II. 20. omnis etiam operatio nostra spiritualis non in alio,  
qvam in Christo, per veram fidem fieri perhibetur Ioh. XV. 5. tum  
qvia totus homo fide sanctus est: sicut igitur totus homo fide  
sanctificatur, D E O q; fit gratus & acceptus; ita pariter omnia, qvæ  
sunt in homine, qvæq; fiunt ab homine, juxta legis divinæ præscri-  
ptum, nonnisi per fidem coram D E O sanctificantur, cum absq; fi-  
de omnis nostra justitia sit instar panni menstruatae Esa. LXIV. 6.

27. Causa finalis, propter qvam opera bona facere debemus  
non unius dicitur generis, ut passim apud Theologos videre licet,  
Augustana Confessio art. 6. & 20. qvatuor potissimum fines urget, qvod.

C

ope-

opera bona facere debeamus (1) propter voluntatem DEI: Docent nostri, quod oporteat opera bona, a DEO mandata facere, non ut confidamus per eam gratiam mereri, sed propter voluntatem DEI. (2) propter mandatum DEI, sicut illud *Apologia* declarat. Sunt facienda bona opera propter mandatum DEI. (3) propter exercitium fidei: sicut eadem inquit: ad exercendam fidem opera bona facienda esse. (4) propter confessionem & gratiarum actionem. Ex Luthero B. Chemnit. p. 3. Loc. Com. p. 22. sequentes causas collegit. (1) Ex Postilla Majori de Festis fol. 33. Deus non eget nostris operibus, sed tamen vult, ut haec sibi praestes, cum Dicenti qvia haec ejus bona voluntas est, & ita requirit. (II) ibidem addit: Opera sunt facienda, non ut cælum per ea mereamur, sed ut gratissimus DEO Patri, qui Filium nobis donavit. (III) in parte æstivali fol. 68. Causa, quare facienda sunt bona opera, est propria nostra necessitas: ne, si juxta carnem vivamus, spiritu alia & æterna amittamus. (IV) Ne nomen DEI blasphemetur, sed bona opera serviant profectui Evangelii. (V) Fol. 264 & 247. Sunt testimonia fidei & justitiae, non tantum coram hominibus, sed & erga nos ipsos. Qvia enim multisib[us] inanem fidem fingunt, scriptura monstrat differentiam externam, inter veram & falsam fidem, ut falsa fides argui possit & eradicari. Iustitia igitur fidei ex operibus sequentibus non tantum alii innescit, verum etiam sibi ipsi certa redditur, quod sit vera. Si enim opera non sequuntur, certum est, fidem non esse veram. (VI) Ponit & hanc causam in 17. cap. Gen. Opera non faciunt personam justam, sed justa persona facit justa opera: & tamen opera hoc præstant, ut fides in eis exerceatur, & per ea quasi augescat, & pinguecat. Sunt enim testimonia, quod gratia in nobis sit efficax, & quod vocati & electi simus. Contra fides otiosa, quæ non exerceatur, sito moritur & extinguitur. (VII) Lutherus in valde multis locis urget consensum cause & effectus: naturam scilicet, & proprietatem fidei, regenerationis & renovationis, talem esse, ut necessariò pariat bona opera. (VIII) Frequentissimum hoc est apud Lutherum, bona opera ideo esse facienda, ut proximo serviamus, & ipsum ad pietatem invitemus.

28. Ex quibus tres potissimum Causas finales, etiam juxta divinæ legis œconomiam, colligimus. Ut enim lex ipsa DEum, proximum, & hominem ipsum respicit, ejusq[ue] triplicis objecti dilectionem præcipit, sic etiam media, quæ lex præscribit, & in fidelibus

Chri-

Christianis ipsa fides dirigit, finaliter hoc triplex objectum respicunt,  
adeoq; debemus finaliter opera bona facere (1) propter DEum, &  
quidem (a) propter ipsum DEI gloriam: nam sive edatis, sive bibatis, sive  
quid aliud faciat is, omnia ad gloriam DEI facite, scribit Paulus I. Cor. X.  
31. Confer Matt. V. 16. Col. III. 17. I. Pet. II. 12. Phil. I. 9. (b) propter fir-  
miorem DEI notitiam, ut nim. testemur, nos vere DEum cognosce-  
re, ut DEUM sanctum, bonum, justum, purum &c: ideo sancta,  
bona, pura, justa opera debemus facere. (3) propter voluntatem  
divinam, quia haec est voluntas DEI, sanctificatio nostra, quae in  
bonis operibus consistit. (4) propter nostram obedientiam, quam  
urget tota lex divina, sicut passim scriptura docet, cum omnis lex  
obedientiam eorum, quibus promulgatur, inferre dicatur, multo  
magis id de lege divina dicendum erit Psal. CXIX. 4. Tu præcepisti  
mandata tua observari valde. (5) propter nostram cum DEO harmo-  
niam I. Pet. I. 13. seqq. Quapropter succincti lumbis mentis vestrae, sobrii ad  
finem usq; sperate in eam, quae nobis defertur, gratiam, quem revelabitur  
Jesus Christus, ut filii obedientes, qui vos non configuretis pristinis, quae in  
ignorantia vestra vigerunt, cupiditatibus: sed sicut ipse, qui vocavit vos,  
sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini. Propterea  
quod scriptum est: Sancti estote, nam ego sanctus sum, quod ex Levit. XI.  
44. XIX. 2. XX. 7. urgetur, unde I. Joh. III. 3. dicitur: Omnis, qui habet  
spem in eo, sanctificatus est, sicut & ille sanctus est v. 7. Filioli, nemo vos sedu-  
cat: qui facit justitiam, justus est, sicut & ille justus est. Unde Christus  
præcipit Luc. VI. 36. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors  
est Matt. V. 49. Estote vos perfecti, sicut & Pater vester, qui in celis est,  
perfectus est. (6) propter debitam *λιχαρεσίαν*: nam innumera  
sunt DEI beneficia, quae nobis præsttit in creatione, conservatione,  
gubernatione, redēptione, sanctificatione &c: quae gratitudinis ergo no-  
stra reqvirunt officia, unde passim in sacris literis ad talem gratitu-  
dinem excitamur. Beneficium enim datur propter officium: aliter  
autem nostram gratitudinem erga DEum declarare non vale-  
mus, quam ut debitam eidem obedientiam præstemus, & in bo-  
norū operū studiis ambulemus, quia sic DEum ipsum glorifica-  
m, ut testis est Christus Matt. V. 16. Luceat lux vestra coram hominibus,  
ut videant opera vestra bona, & glorificetur Pater vester, qui in celis est.

22. (II) Propter proximum, quia facere debemus opera bona  
respe-

*espectu proximi* (a) *ut proximum nostrum vel adjuvemus in bonis*, *vel sublevemus in malis, & sic in omnibus nostris bonis operibus ejus commoda promoteamus.* (b) *ut exemplis nostris eundem ædificemus, luceat lux vestra, dicit Christus Matt. X. 16. coram hominibus, ut videant opera vestra bona, nim. ad suam ædificationem, & DEI glorificationem.* (3) *ut scandala evitemus II. Cor. VI. 4. nullam ulla in re præbentes impingendi causam, ne vituperetur ministerium I. Cor. X. 3. Estote sine offendiculo & Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ DEI.* Confer Matt. XIII. 6. seqq. (4) *ut os adversariis obturemus, qvia I. Pet. II. 15. siue est voluntas DEI, ut benefacientes obmutescere faciamus insipientium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut servi DEI.* (5) *ut infideles lucifaciamus I. Pet. III. 1. 2. Uxores (fideles) se subjiciant suis viris, ut etiam, si qui non assentiuntur sermoni, per uxorum conversationem absque verbo lucifiant, ubi spectarint cum timore conjunctam conversationem castam.*

30. (III) *Propter nosmetipos debemus opera bona facere* (1) *ut fidem nostram vivam bonis operibus coram hominibus declaremus Matt. VII. 18. Jacob II. 17. & 27. (2) ut de remissione peccatorum, nostriq; coram Deo justificatione certi reddamur, cum opera bona sint justificationis signa, notæ, πικρα &c: Iac. II. 21. 24. 25. (3) ut bonis operibus testemur, nos vere regenitos, vereq; DEI filios esse, cum omnem vitam nostram ad voluntatem Patris cœlestis dirigamus, qvia, qui natus est ex DEO, non peccat, nec peccare potest I. Joh. III. 9. & qui agit bene, ex DEO est I. Joh. III. v. 11. (4) *ut ex illis etiam nostram Electionem ad salutem cognoscamus;* hinc exhortatur Apostolus II. Pet. I. 20. *Qvapropter fratres positus studete vocationem & electionem vestram firmam efficere:* hæc enim si feceritis, nunquam impingetis Act. X. 35. cum in quavis gente sit acceptus DEO qvivis, qui eum timet, & operam dat justitiæ. Confer Psal. XV. 1. seqq. (5) *ut sint nobis semita vitae, via ad beatitudinem* Psal. I. 1. 2. Psal. CXII. 1. Psal. CXIX. 1. seq. sicut Bernhard. inquit tract. de Grat. & lib. arbitr. *Bona opera sunt via regni, non causa regnandi.* (6) *Ut illis fides nostra non saltem ostendatur, sed etiam exerceatur, alatur & provehatur: nam ubi peccata**

COM-

contra conscientiam, ibi non est fides, nec conscientia bona, nec in DEum fiducia I.Tim.I.19. II.Tim.I.6. Confer Jacob.II.22. (7) Ut bonis operibus vitam, vocationem & conversationem nostram exornemus, quia beati sunt pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur. (8) Ut os obturemus calumniatoribus nostris, qui variis calumniis nostrae vitae, famaeque detrahere laborant I.Pet.II.15. (9) ut penas tum temporales, tum æternas evitemus Matt.VII.19. Rom.IIX.13. II.Cor.IIX.20.21. (10) ut remunerationem & præmia gratuita, tam spiritualia, quam corporalia, juxta DEI promissio-nem, conseqvamur Levit.XXVI.3. Deut.VI.2. XXIX.1. seq. I.Tim. IV.8.

31. Egimus hactenus de *causis*, nunc etiam de *Bonorum Operum adjunctis* agendum foret, sed hic breviores ducemus linea-s. Multa quidem adjuncta recenseri possent, sed unum vel alterum saltem allegabimus. Nam ratione *sui opera nostra bona* dicuntur (1) *Corrupta*, quia certum est, quod nostra natura corrupta sit: jam autem corrupta causa non edit incorruptum effectum. (2) *Impura*, quia omnis nostra justitia est in star panni menstruatæ Esa.LXIV.10. Ratione DEI, vel *legis divinæ*, sunt (1) *debita*, quia omnia si fecerimus, dicendum nobis est, servi sumus inu-tiles, quia fecimus, quod debuimus Luc. XVII.10. (2) *Imperfecta*, Deus enim perfectam a nobis exigit obedientiam, quam neuti- quam legi divinæ præstare debemus, & multiplex hic imperfe-c-tio reperitur, *imperfectio partium*, tum respectu nostri, vel subjecti, quia non ex toto corde, ex tota anima, ex tota voluntate &c: opera bona facimus: tum respectu *sui*, quia multum deest bonis operibus sive antecedentia, sive ingredientia, sive consequentia bonorum operum consideremus: *imperfectio pariter graduum*, quia multum deest operibus bonis ratione vel obedientiæ, vel emi-nentiæ, quæ respectu legis in iis requiritur, nec ex totis viribus bonorum operum studium exercetur. Ratione Christi, vel fidei, commendatur in iis (1) *dignitas respectu DEI*, quia propter Christum opera nostra Deo placent, & licet imperfecta sint, tamen propter eum grata fiunt & accepta coram Deo, dum sicut impos-sibile est, sine fide placere Deo Heb.XI.6. ita per solam fidem ope-ra nostra Deo placent. (2) *Iucunditas*, sicut ipse Messias inquit:

C 3

Psal.

*Psal. XL. 6.* Facere voluntatem tuam, D<sup>E</sup>us, delector, & lex tua in  
visceribus meis *Psal. CXIX. 14.* In via testimoniorum tuorum dele-  
ctatus sum, sicut in omnibus divitiis. Conf. *Psal. CV. 3. CX. 3.* Hæc  
& alia bonorum operum adjuncta pluribus ex sacris literis dedu-  
ci possent, sed illud alii tempori reservamus.

32. Deniq; seqvuntur *Effecta bonorum Operum*, de qvibus  
agitur vel *negative*, qvod (1) Opera bona non sint *meritoria*, qvæ  
meritum aliquod coram D<sup>E</sup>O producant, efficiant, & post se re-  
linqvant: nam qvia debita *Luc. XVII. 10.* non possunt esse me-  
rita. (2) nec *justificatoria*, qvæsi justificationē vel conferant, vel ad  
eam concurrant: nam passim in S. L. à negotio justificationis ex-  
cluduntur, nec ullo modo corā judicio divino ad justificationem  
nostram referrri possunt (3) nec *fidem generantia*, nec *conservantia*, nec  
*confirmantia*, qvia neutiquam fidem in nobis generare, vel gene-  
ratam conservare & confirmare possunt: id qvod verbo D E I & sa-  
cramentis propriū esse dicitur.

33. *Affirmative*, qvaratione plurima notare possemus effe-  
cta, qvæ passim nobis ostendit ipsa scriptura sacra, cum certum  
sit, qvod opera bona plures in *vita naturæ* non tantum, sed etiam  
in *vita gratiæ*, vel *spirituali*, præstent utilitates. Nam qvod *vitam*  
*naturalem* concernit, non potest negari, qvod *opera bona moralia*  
suos pulcherrimos pariant fructus, multo magis de *bonis operibus*, in  
*Christo præstitis*, illud concedendum erit: nos hac vice potissimum  
ex finibus & objectis certos qvosdam usus, fructus, vel effectus colli-  
gemus, adeoq; fructus & effectus alii dicuntur respicere (1) D<sup>E</sup>um,  
qui potissimum secundum Orationem Dominicam ad tres clas-  
ses revocantur (1) *ad divini nominis sanctificationem*, vel *glorificatio-  
nem*: nam ut per opera mala nomen D<sup>E</sup>I profanatur, sic per ope-  
ra bona nomen D<sup>E</sup>I sanctificatur & glorificatur, unde Christus  
inqvit *Matt. V. 16.* *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera*  
*vestra bona, & glorificetur Pater vester, qui in cœlis est;* & *Ioh. XV. 8. in*  
*hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis.* Idem  
testantur Prophetæ & Apostoli. *Esa. II X. 13.* *Iehovam exercituum sanctifi-  
cate, & ipse sit timori vobis, idemq; sit pavori vobis.* *Paulus I. Cor. VI. 20.*  
*Emiti eis is preciosissimo;* glorificate igitur D<sup>E</sup>um in corpore vestro, &  
spiritu vestro, qvæsunt D<sup>E</sup>I. *Petrus Epist. II. 9.* *Vos genus electum, regale*  
*sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis*  
*eius,*

8ius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. (2) ad regnum DEI manifestationem: petimus enim, ut D E I regnum nobis adveniat; jam autem ad nos venire non potest, si malis operibus studere, vel in regno Diaboli manere velimus: nam qvotqvit opera mala faciant, in regno Diaboli vivunt: qui facit peccatum. *E. Ioh. III. 8.* ex diabolo est, qvoniam ab initio Diabolus peccat: & contra qvotqvit operibus bonis operam dant, illi regni D E I se cives esse demonstrant, adeoq; sic regni DEI appropinquationem manifestant. (4) ad divinæ voluntatis observationem, qvia p̄timus, ut fiat voluntas DEI, sicut in cœlo, ita & in terra: fit autem voluntas DEI per opera bona, qvæ sunt media observationis voluntatis divinæ, qva ratione quoq; talis effectus ex bonis operibus resultat.

34. (II) Operantem ipsum, respectu cuius multiplices dantur effectus bonorum operum, tum qvoad vitam in genere, qvia pietas ad omnia utilis, & habet promissionem huj; & futuræ vitæ *I. Tim. IV. 9.* siquidem Deus omnis generis beneficiis operum bonorum studium in fidelibus remunerari consuevit. In specie, qvoad vitam naturalem, egregii sunt effectus bonorum operum, nim. (a) sui perfectio, qvia bonis, operib, & animus cum interiorib, motib,, & corpus cū exterioribus membris perficitur, qva de causa teneriorem ætatem potissimum ad bonorum operum studium adseverare debemus, ut tum qvoad interiora, tum qvoad exteriora perficiatur. (b) Bona conscientia *Psal. CXIX. 6.* Tunc non erubescam, cum intuebor in omnia præcepta tua. (3) Bona fama, qvæ seqvitur studium bonorum operum, sicut testimonium multorum dicitur seqvi liberalitatis studium *Sirac. XXX. 38. I. Pet. II. 15.* (4) Bona fortuna, *Psal. XXXIV. 12.* Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dices videre bonos? prohibe linguan tuam a malo, & labia tua, ne loquantur dolum, divorce a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perseguere eam. *Conf. Psal. CXIX. Prov. VII. 3. 4. 7. 8. Iosuæ I. 8. Psal. CXI. 10.* (5) Vitæ prolongatio *Prov. III. 1.* Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodian: longitudinem enim dierū, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. *Exod. XX. 7. Deut. XXX. 20. Prov. XIX. 16.* Qvoad vitam spiritualem, quales effectus sunt DEI imitatio, DEI assimilatio, non eqvidem in totum, vere tamen

intan-

in tantum, justificationis manifestatio, arctissima fidelium consociatio,  
subinde majora sumens incrementa renovatio, vel imaginis divinae restau-  
ratio &c: Qvoad vitam æternam nihil instar causæ conferre possunt  
opera nostra, recte tamen vitam futuram notare, nosq; de ea-  
dem certos reddere perhibentur, unde Christus ipse tales notas  
**Electis** glorificandi distribuit Matt. XXV. 34. seqq.

35. (III) Alios homines: nam bonis operibus (1) **alios ad Ec-**  
**clesiæ consortium excitamus**, I. Pet. III. 1. seqq. (2) **alios in Ecclesia ad bo-**  
**norum operum studium invitamus**, sicut ostendit Paulus I. Corinth. IIX.  
1. seqq. c. IX. 2. (3) **nostros confratres ad lætitiam & DEI gloriam excita-**  
**mus** I. Thessal. III. 6. seqq. (4) **Pexas corporales, & cum primis publicas**  
**calamitates & clades averruncamus**, cum etiam propter exiguum ju-  
storum numerum DEus integris etiam regnis ac urbis propi-  
tius esse velit, ut patet ex colloquio cum Abrahamo Gen. XII. 23.  
Ierem. V. 1. &c: (5) **Posteris etiam divinam benedictionem conciliamus**, qvia  
DEus in ipsa lege pollicitus est Exod. XX. 6. se benefaturum esse  
posteris piorum in millesimam usq; generationem, sicut exem-  
pla Abrahami, Isaaci, Iacobi, Davidis, testantur, ad qvæ saepius  
DEus provocavit, & propter illos posteris be-  
nedixit I. Reg. XV. 4. 5. Confer. Pro-  
verb. XX. 7. &c.



Cod. Diss. A. 912, fasc. 74